DE
PSYCHOSI TYPICA.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS IN ALMA REGIA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE ASSEQUENDOS

SCRIPSIT

ATQUE UNA CUM THESIBUS

DIE XXVIII. MENS. OCTOBRIS A. MDCCCXLVIII

PUBLICE DEFENDET

FRIDERICUS STRAHL

RHENANUS.

OPPONENTIBUS:

IUL. MAYER, REFEREND.
ED. WEBER, MED. ET. CHIR. CAND.
G. MEYER, MED. ET CHIR. Dr. PRACT.

BONNAE.

TYPIS CAROLI & FRIDERICI KRÜGER.

MDCCCXLVIII.

VIRIS ILLUSTRISSIMIS

PRAECLARISSIME DE ME MERITIS

MAXIM. C. W. JACOBI

MED. CHIR. NEC NON PHILOSOPH. DOCTORI; AUGUSTISSIMO REGI A CONSILIIS REGIMINIS ET MEDICIS SUPERIORIBUS; EQUITI AQUILAE RUBRAE IN III. CLASSI CUM LEMNISCO; NOSODOCHII PROVINCIALIS AD CURANDOS MENTE ALIENATOS, QUOD SIEGBURGI EST, DIRECTORI; ACADEMIAE REG. MEDICAE PARISIENSIS, SOCIETATIS PHYSICO-MEDICAE AD RHENUM INFERIOREM, SOCIETATIS BEROLINENSIS AD PROMOVENDAM REM MEDICAM IN BORUSSIA, SODALI,

ET

CHR. FRID. HARLESS

MED., CHIRURG. AC PHILOSOPH. DOCTORI REG. CONSILIAR. INTIM. AUL., PROF. MED. P. O. ET FACULTAT. MED. SENIORI, ORD. REG. AQUIL. RUBR. CL. III., ORD. RUSS. WLAD. CLASS. IV., ORD. GRAEC. CL. I. EQUITI, COMPLURIUM ACADEM. ET SOCIETAT. MED. SODALI

PIO GRATOQUE ANIMO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

D. D.

SCRIPTOR.

Prooemium.

Bonnae studiorum cursu rite perfecto, felicissima sorte eo perveni, ut in Siegburgensi morotrophio assistentis mihi munus iniunctum sit. Ibi, quamvis diversissimae insaniae formae, quas ne ingeniosae quidem scholae praeceptoris mei summe venerandi, Nassii, deficiente oculorum cognitione, claras mihi fecere, mirae sane difficillimeque explicandae viderentur, tamen intimam et priorum studiorum et huius instituti doctrinae coniuntionem in eo animadverti, quod hic omnem mentis morbum in corporis quadam causa positam esse edocetur. Itaque hoc quoque loco maxime intererat, non tam mentis animique statum accuratius contemplari, quam corpus, quale esset, quamque id vim ac potestatem exerceret ad insaniam partim procreandam, partim augendam removendamve. Nec igitur, dissertatiunculam mihi ex more maiorum ad summos in medicina honores capessendos scripturo, ullo modo deese potuit, quod disputarem. Verum

enimvero, quomodo ego potissimum in tirocinio meo ausus essem, boni quiddam accuratique de ea re componere? Quum igitur ad certam quandam huius morbi speciem animus mihi applicandus esset, fieri non potuit, quin prae caeteris genius epidemicus intermittens, quo plurimi in hac regione morbi significantur, singulari mihi opera studioque digna viderentur.

Nunc vero maximas gratias non possum non agere egregio illi viro, Maxim. Jacobi, illi directori morotrophii, qui consueta sua benevolentia non modo occasionem huius libelli conscribendi mihi largitus est, verum etiam consilio suo multimodis me adiuvit.

Idem etiam viro cl. Dri Focke, medico huius instituti secundario, publice hic gratias agere cogor, quippe qui amici instar ad mea medendi artis studia provehenda semper paratissimus erat estque, ita quos dies Siegburgi transegi, laetos incundosque mihi reddidit.

In hac igitur scriptiuncula mea, si quid invenietur, quod rectum laudeque dignum videatur, id ad illos, quos supra nominavi viros, tamquam duces et auctores studiorum meorum referendum est. —

Observatum nuperrime a nonnullis hic illicque fuisse dicitur, iam per multos annos intermittentem febrim in iis regionibus, in quibus antea epidemica soleret, magnopere vi deminutam esse. Sed tamen longius procedunt, qui omnem veram intermittentis febris epidemiam denegare velint; neque enim quae circa Siegburgum regio est, sive superiore sive hoc anno contrarium comprobare potest.

Quae tamen prior sententia vera profecto apparebit, modo cogitaris, remotis periculosis, quae febrim illam gignant, causis, veluti exsiccatis contagium exhalantibus paludibus, magnam regionem sanam amoenamque reddi posse. Licet id clarum facere sive ex temperationis gradibus, qui singulis annis magnopere inter se discrepant, sive ex maiore minoreve aquae copia in aëre, sive denique ex annorum fertilitate, unde melior saniorque vivendi ratio inter homines fiat, et quae sunt aliae causae. Nec tamen ullo modo probari potest, ita proximis annis coelum vitaeque rationem melius redditum esse; nihiloque minus sunt, qui illam sententiam defendere audeant. Quocirca aliter illa interpretanda esset, dummodo omnino certa esset et probata.

Attamen, si constaret, ita se rem habere de febri intermittente, quae pestis instar saepe magnae regionis incolas debilitat ac diu prohibet a laborando iisque post vitae miserias immaturam mortem parat, tamen ex observationibus, quas supra nominavi, parum utilitatis haurire liceret, quum iidem observasse contendant,

primum, profecisse, imminuta febri intermittente, typhum, atque adeo insignes inde epidemias pluribus locis exstitisse, (quae fatalis sane permutatio est), tum, quo rarior sit intermittens febris, eo crebriores esse malas vehementesque eius formas.

Quodsi ad hanc secundam sententiam spectas, indeque ad copiam illam memorabilium intermittentis febris exemplorum, quae recentiore aetate allata sunt, dubitare profecto non potes, quin omnino ea vera sit. Sed fit, inquit, saepenumero semel insigni observatione facta, magno numero tunc sequi similes, quum multi medici vel tunc demum animadvertant, quod antea eos fugit ac diu fortasse sine illa communicatione fugisset, vel etiam, capti quodam novi amore, in quotidianis rebus insoliti quidpiam conspicere velint. Verum hoc de intermittente febri minime valet. Licet enim omnes omnium nationum medici de illa deque variis eius formis compositionibusque disseruerunt, tamen psychosis typica, cuius exempla nonnulla postea referam, quaeque haud dubie cum illa febri cohaeret, minus in universum observata est. Nec vero contendam, eam maioribus nostris plane ignotam fuisse, quum exstent singula, quae cerebri symptomata in complicatis febribus intermittentibus leviter attigerunt. Prodit iam P. Frank, inveniri saepe in ista febri, imprimisque in frigoris stadio, sensuum illusiones, gustus auditusque hallucinationes, interdum

etiam mentis perturbationes vel soporem, ex quo aeger nonnisi in caloris stadio excitetur; adesse denique apud infantes inter hoc stadium caloris coma, delirium. Alii etiam scriptores narrant similia. At recentiori demum tempore exempla ita in lucem prodierunt, ut certam inde speciem insaniae statuere queamus. Pugnat quidem in id, quod ultimo loco attuli, Guislain, quum in disputatione de intermittente charactere insaniae affinitatem cum ceteris neurosibus pertractet. Verum existere insaniam, intermittentis febris contagio, aperte declarant exempla (quae postea afferam), in quibus pro usitata neurosi intermittente statim ab initio intermittens cerebri malum se ostendit, quod ex regularibus insaniae accessionibus cognoscitur. Cuius quidem causa non quaerenda est in febri intermittente, sed eadem est et intermittentis endemicae febris et insaniae; recteque Spengler (l. postea cit.) propagatam esse medullae spinalis irritationem usque ad cerebrum vereque cerebri irritationem factam.

Quod attinet ad psychiatriam, duplici modo de intermittente febri disputare licet, partim eam magni momenti esse ad sanandam insaniam (cuius rei multa eaque gravia ex Siegburgensi nosocomio attulit Fr. Koster in dissertatione,[1]) partim quaeritur, quam vim ista febris exerceat ad insaniam procreandam.

In hoc autem Griesinger[2]) tria distinguit, ubi febris illius contagium insaniam gignere possit.

---

1) Fr. Koster, quomodo in insaniam valeat febris intermittens. Bonnae 1848.

2) Wilh. Griesinger, Pathol. u. Therap. der psychisch. Krankheiten. Stuttg. 1845. pag. 138 u. folg.

Et primum quidem, quod rarissime invenitur, est hoc: in iis regionibus, ubi intermittens febris crebra est, statim pro usitatis febris stadiis existit insaniae accessio, quae regulari quotidiano, tertiano, quartano typo est.

Secundo loco praeierat assolita febris intermittens, atque in eius accessionum locum veniunt insaniae accessiones, cum intermittente typo coniunctae, qui tamen saepe sensim sensimque recedit, tumque remittens vel continuus fit.

Quod tertium et quidem usitatissimum est, remota intermittente febri, imprimis gravi diuturnaque, evenit saepe morbus secundarius aut confestim aut multo post insania, quae quidem intermittentem typum non exhibet

Ad probandam hanc usitatissimam insaniae formam multa exempla narrant Chiarugi[1]), Sydenham[2]), Sebastian[3]), Mongellez[4]), Baillarger[5]), Lippich[6]) et alii, quorum exemplorum numerum cuiusvis morotrophii historia valde augere poterit.

Quod attinet ad eam formam, quae rarior teste Griesingero est, quaeque in vexatis ista febri regio-

---

1) Chiarugi cas. XVI.

2) Sydenham, observ. med. circa morb. acut. histor. et curat. Sect. I. cap. V. (op. Genev. 1796. Tom. I. pag. 60).

3) Sebastian, Bemerkungen über die Melancholie und Manie als Nachkrankheiten des Wechselfiebers. Hufeland's Journal 1823. LVI. pag. 3 sqq.

4) Mongellez, Monographie des irritations intermittentes. Paris 1839. I. pag. 638 sqq.

5) Baillarger, sur la folie à la suite des fièvres intermittentes. Annales med. psych. 1834. II. pag. 372.

6) Lippich, Beiträge zur Psychiatrie. Oesterr. Jahrb. Juni 1842. pag. 282 sqq.

nibus vel sponte ab initio vel in ipsa intermittente febri per metastasin neuroseos quasi quaedam larvata interm. febris exsistit, huiuscemodi exemplorum recentioribus demum temporibus maior copia litteris prodi coepta est. Vellem igitur talia quaedam colligere, ex quibus ipse unum in fine, alium fere ab initio observavi. Cuius alterius accuratior historia mihi concessa est benignitate Dris Focke, qui multa huc pertinentia exempla, quae ipse expertus est, a. 1847 Aquisgrani in medicorum physicorumque concione retulit, quae in schedis, in quibus Damerow, Flemming et Roller psychiatriam et physico-forensem medicinam tractant, mox in publicum procedent. Verum Siegburgi potissimum tam multa huius rei experiri licere, non est mirum, si naturam regionis cogitas, quam intermittentis febris contagio tantopere favere iam Koster (l. c.) demonstravit, i. e. magna paludum copia, Aggeris Siegique fluminum coniunctio, et quae bis quotannis redire solet, utroque flumine effecta inundatio.

Sed in aliis quoque regionibus, ubi intermittens febris endemica est, singulares eius febris formae eaeque permultae inveniri possunt. Ita Spengler[1]) complura narrat exempla, quorum unum potissimum dignum videtur, quod hoc loco commemorem.

Famulus non ita robusto, alioquin bene structo corpore, cuius indoles mediocris erat, laborabat iamdiu, quod somnum capere non poterat eratque ita anxio semper demissoque animo. Quatuordecim diebus interiectis, opem

---

1) Spengler, Beobachtungen von Intermitt. comitata in Casper's Wochenschrift für die gesammte Heilkunde No. 21. 20. Mai 1848. pag. 326 sqq.

quaerit. Mediam circiter noctem repente sese expergefactum, incredibili vexari solere anxietate, quum varia horribiliaque ei somnia fuissent, quorum imagines ne in vigilando quidem pellere possit. Statim postquam experrectus sit, sensu aurae simili se corripi, qui, exortus in abdomine, usque ad caput ascendat idque nebula quasi quadam occupare soleat. Tum ab alio se possideri sibi videri, credereque se, corpus suum gravissimum latissimumque esse, vigilare autem se plane, quia uxorem tranquille iuxta se dormire videat. Dein vexari se cum aliis hallucinationibus, tum maxime foetido odore, varios se sanos audire, videre formas, quae minitarentur, maledicerent, torquerent urerentque. Crescit tum anxietas aegroti, qui, duabus tribusve ita horis peractis, quasi lavatus sudore, fessis viribus in somnum incidit et mane postridie gravem inter cephalalgiam surgit. Daemone sese obsessum existimans, frustra orat ieiunatque, quum tertia quaque nocte terribile id numen ei appareat. Perturbatus demissusque mirum quantum aegri animus. Sunt lucida intervalla; totum corpus macerrimum, in eiusque spina dorsali prima ac secunda vertebra dorsalis dolorosa, ubi cum premitur, scintillatio exoritur et susurrus aurium. Infricatur ei loco tartarus stib., interneque dantur grana duo Chin. sulph. Quae conditio postquam duas fere hebdomades in typo tertiano mansit, paulatim accessiones et tempore et vi minutae, tandem plane evanuere.

Alium, qui idem huc pertinet, casum, dignum, ut accuratius referatur, attulit in operibus suis Armand Beaupoil [1]).

---

1) Cf. Gazette médicale de Paris. Samedi 6 Mai 1848. Nr. 19.

Stanisl. Archambault, puerulus sex annorum, statura exigua, debili corpore, pallido colore maximeque macer, iam per decem dies aegrotare coepit. Eius mater refert, laborasse eum antea febri gravissima, quae quotidie nullo quidem frigore, nullo sudore rediisset. Tum turbulenter in accessione eum iactare, clamare, insipide loqui, ex capite et abdomine laborare. Mane die 11. mens. Octobr. decrevisse medicus invenit nocturnam accessionem, cutem toto corpore calidam aridamque, in fronte vel ferventem fere; rediisse etiam plane intelligendi percipiendique facultatem ac plane delirium loquax nocte tam perspicuum abiisse, abdomen dolore liberatum, molle ac paulo contractum; lotium autem rubrum, lienem minime tumefactum, nec, quum premeret, regiones hypochondriacas dolorosas, pulsareque rectis intervallis centies quinquies circiter in sexagesima horae parte arteriam. Cutis etsi minus calida, manet tamen arida, atque ad omnia respondet aegrotus mira prudentia. Datur Chin. sulph. cum Hydrarg. muriat. mit. commistum, simulque in fronte adhibentur humida frigida lineamenta.

D. 12. mens. Oct. Alvus tenuis; febris, ut solebat, rediit vespere ac maiore quidem vehementia, et, quod ad delirium attinet, aeger pauca tantum verba medio in ipso somno, saepe interrupto, sine ullo ordine emisit. Perpetuo etiamtum capite laborat, dum interim capitis cutis toto reliquo corpore calidior erat.

D. 13. eiusd. Cupit perpetuo dormire, bis vomuit adestque levis recedensque paroxysmus, qui inter sudores sub vesperum desinit. Nihil mane febris.

Amand Beaupoil, Constitution médicale intermittente du Canton de Saint-Meure en 1847, mémoire pour servir à la localisation des fièvres intermittentes.

D. 14. eiusd. Vix conspicua accessio, somnus inquietus, et iterum atque iterum queritur ob capitis dolorem debilitatemque femorum.

D. 15. eiusd. Abest omnis et febris et accessio, celeriterque inde sanitas reversa est.

Accuratius tum inquirit Beaupoil ea, quae distant ab ordinario intermittentis febris eventu. Ibi enim initio nec gelu nec fere ullus sudor, neque aliter febris significabatur, nisi insigni capitis dolore, cum fervente fronte coniuncto; delirabatque puer de schola modo deque aliis rebus puerilibus. Maior percipiendi facultas, quae simulac accessio desiit et aegrotus conscius sui fuit, magis magisque remitteretur. Pupilli immobiles, respiratio lenta, atque lingua, quae in nocturna accessione ardebat aridaque erat, mane fit humida.

Cuius totius morbi causa, etsi dubitari non potest, quin in meningitide vel fortasse in anteriorum loborum meningo-encephalitide consita sit, tamen, circumspecta omnium illorum, quae nominavi, imprimis cerebri symptomatum exacerbatione, statuendum est, affuisse miasma intermittens, quod in certis organismi partibus, veluti hic in anteriore cerebri parte firmiter sese constituerit. Licet id dilucide intelligere ex aegroti domicilio vivendique ratione. Etenim ignobili loco natus, indeque tenuibus alimentis nutritus, malisque vestibus indutus, habitat in casa humida, quae nullum fere aëris admittit aditum, cuiusque muri partim cinguntur rupe collis ad domicilium adiacentis, partim profunda fossa, quae pluviis saepenumero inundatur.

Quod tandem ad duo illa exempla attinet, quae ipse observavi, prius loquar de eo, quod demum in fine cognoscere coepi.

Habitabat prope Bataviae fines rusticus sat eruditus, triginta quatuor annós natus, in regione, crebris malisque febris intermittentis modis memorabili. Is, dum in pueris erat, feliciter febrim, typhnm, ut ferebatur, superarat, quumque vicesimo quarto aetatis anno a capitis eruptione mitra picata (Pechhaube) liberatus esset, exstitit quadriennio post hydrocele, quae interiecto tempore operatione depulsa est. Idem etiam, unum et viginti annos natus, valde laboraverat febri intermittente tertiana, quae, etsi celeriter remota, insequenti anno minus vehementer rediit. Sed ut mittamus hoc loco, num et quomodo febris illa tertiana cum capitis eruptione posterioreque hydrocele coniungenda sit, mihi quidem nunc operae pretium videtur contemplari, inde ab intermittente febri interdum melancholiam sese ostendisse, cuius causam initio aeger ad deceptum quendam amorem referre volebat. Maior tamen in dies fiebat illa melancholia, ac postquam tricesimo aetatis anno matrimonium contraxit aeger, ita accrevit, ut vel alii mirarentur. Sed conspiciebantur etiam in intervallis et inquies, quae nunquam antea aderat et stulte faciendi cupido, quae multas domi inimicitias excitavit. Quae utraque periodus, et demissi et excitati animi, accuratioribus paulatim finibus altera ab altera disiungebatur semperque vehementior apparebat, donec inter excitationem talia egit, quae affinibus tandem persuaderent, eum animi morbum nactum esse. Ac quamquam plures iam annos ita aegrotarat, tamen ne tum quidem in morotrophium translatus esset, ni insipidae eius emtiones venditiones, quas in excitatione ista inibat, et suam et suorum rem familiarem in periculum vocassent, utque bonorum administratione ei interdiceretur, poposcissent.

Hac igitur de causa mense Iulio a. 1846 in nosocomium Siegburgense receptus, talem fere se praebuit.

Aderat magna, immo ingens inter melancholiam edendi cupiditas, crassus linguae inductus, pessimi ex ore odores, abdomen valde tensum, alvus tarda, pulsus quietus, caput saepe dolens, manus paulisper trementes, bonus somnus, inclinabatque vel interdiu aeger ad dormiendum, ita ut domi tunc temporis perpetuo propemodum in lecto esset. Nulla in eo aut parva tantum fumum hb. Nicotianae emittendi cupido ac raro tantum loquebatur tristisque erat ob ea, quae in animi excitatione commiserat; omnia denique praecepta libenter subibat sine ullis aut precibus aut querelis.

Ita octo vel duodecim diebus peractis, subito mutantur omnia, et post turbatam noctem aeger alius evadit.

Manet ciborum appetitus, qualis fuerat, at lingua purgatur, proiiciturque tremens nonnunquam. Evanuit ferme ex ore malus odor tensumque abdomen, et excrementorum secessus fit crebrior, i. e. bis trisve ac saepius quotidie, antea autem modo tertio quoque die, copiosior ac faeculentior. Fit pulsus frequentior, caput liberum, tremuntque manus mirum in modum. Plane convaluit, fumumque emittendi tanta est cupiditas, quae expleri nequeat. Reluctatur aegrotus contra medicorum imperia neque unquam haec illa desiderare desinit. Somno posthabito, dies noctesque iurgia conviciaque miscet ac perpetuo tussit spuitque ad excitandos alios, qni dormire cupiunt. Secretio salivae plerumque tunc adaucta invenitur. Interdum etiam fieri potest, ut aegrotum ad occupationes adigas, perficitque tum negotia diligenter et accurate. Subito autem, abiectis iis, ma-

ledicit, fugam tentat, iocosa periculosaque agit. Nec omittendum est, eum in hac excitatione paululum proclivem esse ad vinum aliosque potus spirituosos, ad furandum et quae sunt huius generis.

Item haec insaniae periodus manet octo usque ad duodecim dies, ac interdum utrumque tempus minuitur ad dies septem vel protrahitur ad quatuordecim, nunquam hos fines transiliens. Summa vero exacerbatio tertio quartove die evenire solet, attamen semper ex altera in alteram periodum repente, noctu plernmque, transitur.

Neque haec solum ex corporis indagatione licuit intelligere, verum etiam insignem hepatis extensionem, de qua nihil mutatum est, sive aquam thermarum Carolinarum (Karlsbad), sive Heppingensem cum Magnes. sulph. mixtam, sive balnea adhibueras. Aliquot mensibus post dabantur salia laxantia, amaris extractis commixta; sed frustra et haec et setaceum deinde allatum et fames, quam quidem non severe observabat. Eodem modo fuerunt, qui aquae usum (Wasserkur) non diuturnam vim crederent exercere, periodi cum diutius durarent minusque vehementer essent. Ita aqua etiam, quae per multos menses adhibita erat, contemta, qualis antea aeger fuerat, talis emersit, nisi quod macer factus erat, cum antea mirum quantum corpore profecisset. Tum igitur, ratione habita distincti insaniae typi, solut. arsenical. Fowleri, ea, qua solet, dosi porrigebatur. Et licet digestionis organa male hoc remedio afficerentur ideoque id mox remotum esset, tamen corporis valetudo multo melior et evaserat et indies evadebat usu Chinii sulph., cuius duo primum, post quatuor grana quater quotidie dabantur. Imprimis autem melancholia tum

multo minore gradu, quam alioquin, apparet, ipsamque inter excitationem nihil est, quod non in quietorum ordinibus aegrotum commorari sinas.

Inveterata illa iam per multos annos aegritudo ita comparata est, ut merito sperare liceat, si non celeriter, et certe paulatim, omnem eam depulsum iri.

Casus alter hic est.

J. Z. Wevelinghoviensis, vir annorum quadraginta quatuor, natus erat a parentibus omnino sanis, nec ullum insaniae vestigium tota eius gente notum est. Phthisi et pater, annos quadraginta quinque annos natus, et fratrum nonnulli absumti erant, mater autem plus septuaginta annos vixerat, plurimique eius affines longae vi decesserant. Est aegrotus natu maximus ex quatuor liberis, quorum duo iam tenera aetate mortui erant, solusque superstes frater et corporis et mentis sanitatis gaudet. Is autem de puerilibus aegroti morbis nihil se scire affirmat, nec aderant scrofulosis rhachitisve. Attamen iam a prima aetate dementia quaedam conspiciebatur, eratque ut alacri facilique animo, ita tam levi semper turbataque mente, ut multa de eo iocosa narrare solerent. Postquam in schola rudimenta litterarum latina quaedam gallicaque didicit in iisque tardius semper quam ceteri, provectus est, pater, qui pistor erat, eum suam artem docere coepit. In qua quidem parum profecit, quumque merces ei circumferendae essent, saepe eas in via dereliquit, oblitus earum inter rixandum cum sociis. Ac semel puer aegrotarat, quum, e schola discedens, aquam in caput effudisset atque ita frigore morbum nactus esset. Quindecim annos natus, Novesium venit discendique causa alium strenuum pistorem adiit. Frustra! Etenim anno et dimidio praeterito, do-

mum sine ulla scientia reversus est, quumque pater interim obiisset, ipse eius munus suscipere debebat. Sed infeliciter rem gessit et, abiecta ea nonnullis annis post, quantum fieri potuit, hortum colebat. Attamen ibi nonnisi duce famulo laborare potuit raroque fructos cepit, adhibita omni opera in purgandis viis, dumetis aliisque minutiis, dum interea bibere ancillarumque societate oblectari coepit. Miles factus est reservativus, postquam quinque annos, quippe viduae filius natu maximus a militia liberatus est eiusque frater interea adolevit. Cupiebat ipse fieri miles, quamvis militiam nullo modo intelligere posset, tandemque, severitate adhibita, humi iaceret punireturque. Attamen ipse tum se ebrium fuisse aliquando aiebat, ita ut stare non potuisset. Inde igitur culinae imprimis negotiis fungebatur. Ac vix dum militiam ingressus, per plures hebdomades pectoris inflammatione affligebatur, narratque etiam, se ab decimo octavo usque ad vigesimum quintum aetatis annum mense Maio potissimum epistaxi laborasse, quam tamen nimio cerevisiae potu ortam esse contendit. Egressus e militibus, ad pristinam vitae consuetudinem rediit, ad bibendum, insipide agendum, hoc illud cupiendum. Saepe etiam peregrinari gestibat, ac re vera aliquando munere functus est Novesii, unde mox tamen se recepit. Defuncta matre, quum ante hos octo annos Siegburgum ad fratrem migrasset, ibi quoque ut antea vivere perrexit tantumque consumsit, ut patrimonium magnam partem periret; quare lubenter fecit, ut omnem rem familiarem fratri traderet, qui annuam ei summam sponderet.

Insequentibus post potationes diebus nunquam cephalalgia laborabat, at vertigine, eratque inquieto

tristique animo cum ob alia, tum etiam ob pecuniae iacturam, quin immo, perspecta perversitate, optima cepit consilia atque interdum ea per quindecim dies exsequebatur, donec in priora vitia recidit. Ut quaeque societas ei obviam fiebat, ita eam sequebatur, neque unquam domum rediit, ut non nummos omnes ad unum expendisset. Tali igitur vita non potuere non deesse capitis vulnera, quae quidem minime graviora erant; nec insania inde unquam in eo animadversa est. Superiore anno gonorrhoeam nactus est, quae celeriter medicina sanata, ubi primum aeger potare incepit, iterum erupit, sed paucis diebus remota est.

Exeunte Maio h. a. postquam annum et dimidium vertigine laboravit, quia ebrius quondam in viam ceciderat, indeque faciem laeserat, vino adusto prorsus abstinere constituit feliciterque ita perfecit.

Die 12. mens. Iunii virium lassitudine, dorsi capitisque dolore vexari coeptus est atque per sex inde dies remansit.

D. 18. eiusd. circa meridiem frigoris sensu invasus, ita duas fere horas laborabat, donec calor, nullo quidem sudore coniunctus, sequebatur et usque ad horam nonam pomeridianam durabat.

D. 19. eiusd. Nocte inquies. Per diem convaluisse sibi videbatur, eratque bono ciborum appetitu ac libere deambulavit.

D. 20. iterum febri acceditur, et unius quidem horae spatio prius, quam praepostero die. Dantur laxantia.

D. 21. Nulla febris.

D. 22. Rursus febris una hora prius erumpit, quam d. 20. daturque Chin. sulph.

Ex hoc evanescens febris magnopere vires confe-

cerat; quibus licet sensim sensimque refectis, inde tamen mentis perturbationem ostendit et inepte loquendo et aliter; emitque etiam perspicillum, falso iactans, id suasisse sibi medicum. Temere etiam in horto et diruisse et plantasse fertur; frater itaque omnes insipida eius agendi ratione facile mirabantur.

D. circiter 8. mens. Iulii h. a. redit febris intermittens. Nec vero clare perspicueque significabatur, sed aderant sine regulari sudore gelu modo capitisque dolor. Pessimus somnus. Initio tertiana videtur fuisse; quod tamen ex narratione non pro certo apparet.

Meridiei diei 12. m. Iul. in febris locum vehemens excitatio successit; quumque et medicinae et ecclesiae ministros poposcisset aegrotus, arcessitis iis, temere iocoseque disputabat; insequenti nocte sat erat tranquillus.

D. 13. eiusd. post meridiem accesio evasit successitque nox neutiquam quieta.

D. 14. mane aderat tranquillitas et post meridiem evolnadi desiderium, tandemque in silvam egressus, quatuor horas per aquas ac paludes lustrabat, quoad media nocte in urbem reportatus est. Ibi vehementer iactari incepit, voluit equis ac vehiculo evehi, ac modo totius terrae se dominum gloriabatur, modo Antichristum sese existimans, crucifixi signum eiecit, vehementissime invehens, a Christo tempestates excitari, quando evehi cuperet.

Die 15. omnia mane sedata erant, memineratque et Nassoviae ducem se sibi visum esse et alia. Quin omnia priora inter haec intervalla reminiscens, tam liber erat a quavis mentis perturbatione, ut fratri traditis clavibus praeciperet, quomodo reversa excitatione, has conderet, ne ipse tum omnia perderet. Erat sane macerri-

mus atque in quiete adeo debilitatus, ut per tres dies nulla voce emissa, vix manum tollere ac sine adminiculo ne procedere quidem posset. Pulsus frequens, tensus, pallida facies, vertebra quaedam dorsalis, quum premeretur, dolorosa, lien paulisper extensus. Ipse aeger melius esse intellexit, se in morotrophium ire, quam cum fratris detrimento diutius apud hunc sedere. Interim, lingua insigniter inducta, emeticum porrectum et prospero quidem successu. Alvi obstructiones levibus purgantibus pellebantur, ac postea Chin. sulphur. quater quotidie grana IV dabantur. Dolorosus dorsi locus obtectus est empl. vesicatorio, quod vehementem in eum exercuit vim Accessio exstitit hora meridiana, qua ineunte, aeger medici ductu in morotrophium per montem ascendit. Videbat ubique in via nitidissimos flores, vocem suam, tanquam lusciniae similem iactabat ac re vera aliquando cantare incipiebat; praeterea Siegum amnem Rhenum esse, adiacentesque ecclesias naves putabat, quae iussu suo in flumine apparerent, at in universum sat obediens et quietus erat. Paulatim autem vehementius invehebatur, pulsabat, tumultuabatur, ita ut in excitatorum ordines traduceretur. Sicca cutis, membra aliquantisper frigida, pulsus febricitans. Ac quum infusum theae calidum bibisset, humidoque involutus esset linteo, super quod lanea tegimenta expandebantur, sudabat redibatque ad quietem.

D. 16. eiusd. Optima nox, quia multas aegrotus horas dormiverat. Mane aderat conscientia, lingua minus obtecta, ingens ciborum appetitus, alvus soluta, pulsus plenus, parumque tensus, 88, cutis turgescens. Nona circiter hora dabantur gr. X. Chin. sulphur.

17. Heri lenissima febris accessio, bonus somnus;

aegrotus se gessit, ut in quietorum ordines, quod voluit, remitteretur.

18. Heri sub divo sanus mente et alacer erat, dum vespere circa octavam horam digiti incipiebant frigore quodam corripi. Peior nocte somnus. Post meridiem excitans frigidum integumentum, quale supra descripsi, statimque ineunte integumento pulv. Ipecacuanh. opiat. porrigebatur. Satis tum sudabat, existimans, pedum digitos subfrigidos mansisse.

20. Vires etiamtum debilitatae, lingua magnopere obtecta, alvus regulariter soluta.

21. Nulla nec heri nec hodie febris. Recte omnino sese gerebat.

22. Perpetuo vehementissima ciborum cupido, dum interim lingua crassum inductum flavum praebebat. Insueta hilaritas. Porrigebatur Infus. rad. Rhei cum Extr. Trifol. fibr. et Acid. muriat., quod diu aegrotus adhibebat.

Convaluit paulatim aegrotus multo magis, quam unquam antea, quum et vires refectas sentiret et crassiore corpore esset ac duodecim libras, quoad in nosocomio versabatur (per tres menses) pondere profuisset. Firmus incessus, indicantque corporis habitus motusque quiddam roboris. Omnia corporis organa suo quodque negotio funguntur. Lingua quidem perpetuo levem praebet inductum; attamen aegrotus ita semper eam affectam esse contendit. Nec corpore solum, verum mente etiam multo sanior, quam antea, factus erat. Licet enim eius ingenii facultates non ita crevissent, tamen animo se esse erectiore, sentiebat; libenter ac prudenter omnes morotrophii regulas sequitur, et cum alia bona init con-

silia, tum etiam evitandarum potationum, quia inde se ad extremam calamitatem redactum iri intellexit.

Sicuti vero casus ille, quem paenultimo loco commemoravimus, similitudinem quandam cum frigoris calorisque stadio in febri intermittente ostendit, quum illi depressione, huic exaltatione omnium functionum respondeatur, is autem typus apud nos Europaeos rarissimus sit: ita reliquis exemplis talis similitudo plane deest, in iisque insania usitatum febris intermittentis typum exhibet. Tota horum exemplorum series, etsi ubique eandem statuas basin somaticam, tamen formae magnam diversitatem demonstrat, vnluti morbus, quem *paralysies générales* vocamus, qui modo mania, modo melancholia apparet. Ita hac quoque re apertissime declaratur, etiam in sanandis dementibus non formam, sed ipsam basin morbi spectandam esse; quod praeceptum iis, quae supra attulimus exemplis luculenter comprobatum est.

Vita.

Natus sum die XXVIII. m. Novembr. anni MDCCCXXIII. a patre Philippo, professore Bonnensi, iam octo annis dira mihi morte erepto, et matre Marianna, e gente Kloepper, quam vivam adhuc veneror. Fide catholica educatus, litterarum principia in gymnasio Bonnensi didici, quod t. t. Biedermann florebat directore. Inde cum maturitatis testimonio dimissus et d. II. Novembr. MDCCCXLIII. a Bleek cl., Rectore t. t. magnifico, inter cives academicos receptus, nomen dedi apud Nasse cl., Decanum t. t. spectatissimum medicorum ordinis.

Praeceptores autem, qui per novem semestria diversarum mihi duces fuere disciplinarum, hi extiterunt vv. ill. van Calker, von Sybel, Kinkel, Plücker, G. Bischof, Treviranus, Goldfuss, Noeggerath, Weber, Mayer, Budge, Naumann, Albers, Brach, E. Bischoff, Hoppe, Heinrich, Kilian, Wutzer, Nasse, Harless.

Praeterea per annum duce cl. Dre Kallmann chirurgus voluntarius stipendia feci, quibus emeritis, morotrophium Siegburgense, quod directore celeberrimo Iacobi floret, petii ibique per sex menses assistentis medici secundarii munere fungor.

Quibus viris omnibus, maxime de me meritis, pium semper gratumque animum reservabo.

Vita.

Natus sum die XXVIII. m. Novembr. anni MDCCCXXIII, e patre Philippo, professore Bonnensi, cum [illegible] [illegible] mihi morte erepto, et matre Marianna, e gente Kleppers, quam vivam adhuc veneror. Fide catholicae addictus, litterarum principia in gymnasio Bonnensi hausi, quod [illegible] [illegible] Romani directore. Inde cum maturitatis testimonio dimissus d. [illegible] Novembr. MDCCCXLIII, a [illegible], Rectore [illegible] magnifico, inter cives academicos receptus, nomen dedi apud [illegible], Decanum [illegible], [illegible] medicinae [illegible].

Praeceptores autem, qui per [illegible] semestria [illegible] mihi [illegible] [illegible], hi exstiterunt viri, ill. [illegible], von Sybel, Kinkel, Plücker, G. Bischoff, Treviranus, Goldfuss, Nöggerath, Weber, Mayer, Budge, Naumann, Albers, [illegible], Harless, [illegible], Wutzer, Nasse, Harless.

[illegible] per [illegible] [illegible] cl. [illegible] Kilian [illegible] [illegible] [illegible], quibus [illegible], [illegible] burgense, quod directore celeberrimo Jacobi [illegible], [illegible] per [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible].

Quibus viris [illegible], maxime de me meritis, [illegible] [illegible] gratissimo animo [illegible].

Theses.

1. *Est insania intermittens.*
2. *Fons morborum animi corpus.*
3. *Partum arte praematurum in primiparis instituere licet.*
4. *Vivum foetum perforare licet.*
5. *Veri amor princeps virtus medici.*
6. *Medicina forensis solius est medici, non item iurisconsulti.*